

No. 82. 1214. 23. Apr.

B. Dietrich von Merseburg, Markgraf Dietrich und Alb. von Droissig legen den zwischen dem Domcapitel und Arnold von Mildenstein über die Zehnten in dem Burgwart Gozne und Frankenberg schwebenden Streit bei.

In nomine sanctae et individuae trinitatis. Nos Teodericus dei gratia Mersburgensis ecclesiae episcopus, Teodericus Misnensis et Orientalis marchio et Albertus de Droyzzec, inter Misnense capitulum et Arnoldum de Mildensteyn arbitri communiter electi. Quum exemplis ipsius instruimur, qui constitutus inter deum et hominem, ipse deus et homo, pariter mediator utrumque unum fecit, ut quemadmodum ipse fecit nobis, et nos eadem faciamus, finiendis discordiis et litibus sopiendis operam accommodantes, universis Christi fidelibus in notitiam duximus educendum, quod cum inter ecclesiam Misnensem et Arnoldum de Mildensteyn super decimis possessionum Hersveldensis ecclesiae in burcardo Gozne^{a)} constitutis iam dudum quaestio verteretur, licet eadem causa per me, videlicet episcopum et Dietmarum decanum et Heynricum archidiaconum Mersburgensem auctoritate apostolica esset decisa et decima eadem fratribus sententialiter adiudicata, nihilominus postmodum pro bono pacis in nostrum arbitrium compromiserunt. Post multos igitur super eo tractatus habitos Arnoldus idem tria tandem fratribus proposuit, quorum primum fuit, quod si Teodericus maioris ecclesiae Misnensis praepositus, consanguineus ipsius Arnoldi iuratus assereret, ipsas decimas ad capitulum pertinere, ipse super eis ecclesiam de cetero minime molestaret. Episcopus vero et canonici duobus aliis, quae proposita fuerant, postpositis eum qui expressus est articulum elegerunt. Unde iam dictus praepositus tactis sacrosanctis evangeliiis dixit, omnem decimam possessionum Hersveldensis ecclesiae, quae sunt in burcardo Gozne et Urankenberch constitutae, ad altare beati Pauli et ad praebendam fratrum legitime pertinere. Nos vero eidem Arnoldo super eadem petitione perpetuum silentium imponentes et in decimis eisdem pacem fratribus firmantes, eas sine diminutione in antea praecepimus ipsis solvi. Testes autem huius rei sunt: Bruno episcopus, Guncelinus decanus, Bertramus Worcinensis praepositus, Vlricus custos, Wipertus scolasticus, Heidenricus et Geroldus canonici Misnenses et Conradus cappellanus marchionissae, Heynricus burgravius de Donin, Heynricus de Chorun, Conradus de Borsendorf, Albertus dapifer, Herbordus de Worcin, Arnoldus de Zlowin, Hermannus de Catena, Conradus de Teniz, laici. Acta sunt haec Doblin incarnationis dominicae anno millesimo CC°. XIII°, indictione IIIª, nono Kalen. Mai.

Nach dem Orig. im Stiftsarchiv zu Meissen mit drei an Pergamentstreifen hängenden wohl erhaltenen Siegeln des Bischofs Dietrich von Merseburg, des Markgrafen Dietrich (Reitersiegel, auf welchem ein Schild mit zwei senkrechten Balken sichtbar ist) und Alberts von Droissig.

Köhler cod. dipl. Lus. I. Anh. S. 50. — Im Auszug Journal f. Sachsen S. 576.

a) Jetzt Sachsenburg (?) Vgl. Gautsch Archiv I, S. 68.